




PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Commnnicationes

VOL. XL • N. 1

2008



COETUS STUDII « DE PROCESSIBUS »

Sessio XI^a

(diebus 19-22 aprilis 1971 habita)

Diebus 19-22 aprilis 1971, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut sodales Coetus studiorum ad recognoscendas normas de iure processuali.

Sessioni intererant: Exc.mus Aurelius Sabattani, Relator; Rev.mi Consultores Carolus Lefebvre, Iosephus Pinto, Stephanus Kelleher, Iosephus de Castro Nery, Elias Jarawan, Christophorus Berutti O.P. et Guillelmus O'Connell O.F.M.

Praesentes quoque erant Rev.mus P. Raimundus Bidagor, Secretarius Generalis Commissionis et Rev. Franciscus Voto, qui functus est munere actuarii.

Primae adunationi praefuit Em.mus Card. Pericles Felici, Praeses Commissionis, ceteris vero adunationibus praefuit Rev.mus Secretarius.

In hac Sessione examinata sunt schemata quorundam processuum specialium, scilicet de causis separationis coniugum et de processu dispensationis super matrimonio rato et non consummato.

Haec schemata redacta fuerunt ab aliquo parvo Coetu ex sequentibus Consultoribus composito: Exc.mis Casoria et Sabattani, Relatore, et Rev.mis Lefebvre, Pinto, Damizia, Berutti et O'Connell, qui diebus 24-27 februarii 1971 convenerunt, praeside Bidagor, ad ipsa schemata apparanda.

Omnes Consultores ante tempus haec schemata habuerunt ita ut examinarent pro discussione et approbatione in praesenti Sessione habenda.

Praeterea aliud schema canonum ipsis Consultoribus transmissum fuerat, schema nempe de procedura administrativa, ab alio parvo Coetu, de mandato ipsius Coetus generalis,¹ apparatus; cum mente illud quoque in hac Sessione examinandi. Sed de hoc schemate nulla discussio habita est ob rationes quae infra dicuntur.

¹ Cfr. Relationem Sessionis VIII, *Communicationes* 39 (2007), p. 295.

Adunatio I^a
die 19 aprilis 1971 mane habita

Huic adunationi praeest Card. Pericles Felici, Praeses Commissionis. Em.mus Praeses omnibus Consultoribus salutem dicit et quaerit num ipsi approbent Relationem laborum Sessionis X^{ae}, quod attinet sive ad veritatem sive ad integritatem eorum quae referuntur.

Omnes Consultores Relationem approbant.

Rev.mus Secretarius exponit ordinem laborum, pro hac Sessione statutum, de examinandis scilicet schematibus canonum: *a)* de causis separationis coniugum; *b)* de processu dispensationis super matrimonio rato et non consummato; *c)* de procedura administrativa.

Card. Praeses monet Consultores examen schematis de procedura administrativa dilatum iri, quia interim, de mandato Summi Pontificis, constituta est specialis Commissio Pontificia, cui munus concreditum est examinandi quaedam documenta, in quibus de iustitia administrativa tuenda cavetur, a quibusdam Conferentiis Episcoporum exarata. Ipsa quoque Commissio specialis munus habet apparandi legem generalem de iustitia administrativa, in quo opere perficiendo schema de procedura administrativa, a parvo Coetu apparatus, complebitur, ratione habita illorum elementorum, quae ex praedictis documentis particularibus desumi poterunt.

His praemissis incipit examen schematis canonum de causis separationis coniugum.

Rev.mus Relator legit antea schema canonum a parvo Coetu redactum:

Can. 1

§ 1. Causae separationis personalis coniugum baptizatorum ad iudicem ecclesiasticum deferantur, nisi iure particulari aliter caveatur.

§ 2. Ubi decisio ecclesiastica effectus civiles non sortitur, et quando sententia civilis praevидetur non infensa iuri Ecclesiae, Ordinarius commorationis coniugum poterit, singulis in casibus, perpensis peculiaribus adiunctis, licentiam concedere adeundi forum civile.

Can. 2

Quando petitur separatio perpetua, instaurari debet processus iudicialis saltem summarius, nisi pars actrix instet ad quaestionem via administrativa pertractandam et pars conventa necnon promotor iustitiae consentiant.

Can. 3

In causis separationis temporariae adhibetur forma administrativa, nisi ius particulare aliter statuatur, vel pars actrix aut pars conventa aut promotor iustitiae, audito Ordinario, petant tractationem iudicalem.

Can. 4

Causa separationis, quae forma administrativa proponitur, sequitur ordinarium tramitem processus administrativi, servatis tamen peculiari-bus normis quae infra traduntur.

Can. 5

In causis separationis, forma sive contentiosa sive administrativa per-tractandis, praeter tribunalia de quibus in can. 1964, competens est quo-que forum ultimae commorationis non precariae coniugum.

Can. 6

Quando proponitur causa separationis quae simul implicet quaestio-nes circa effectus mere civiles matrimonii, nisi ius particulare aliud caveat ad normam can. 1961, curet iudex ut causa ipsa, inde ab initio, de licen-tia Ordinarii deferatur ad forum civile.

Can. 7

In processu sive iudicali sive administrativo separationis coniugum interveniat promotor iustitiae, qui curare debet ne absque causa consortia matrimonialia distrahantur, neve legitimae separationis causae haud reco-gnoscantur.

Can. 8

Processui separationis, etiam forma administrativa pertractando, inte-resse oportet notarium, qui actuarii munere fungatur.

Can. 9

Partes uti possunt advocatis a se electis, etiam in processu administra-tivo separationis; iudex vero, si necessitas id postulet, constituat parti pa-tronum ex officio.

Can. 10

Praemisso conatu conciliationis ad normam can. 1973, iudex etiam in processu administrativo directe audiat coniuges de quorum separatione agitur et inquirat quoque ab eorum parcho, nisi adiuncta aliud suadeant, de vicissitudinibus vitae coniugalibus.

Can. 11

In processu, forma quoque administrativa peragendo, accurate definiatur an separatio temporaria vel perpetua, qua de causa quibusque argumentis petatur; patefiant probationes collectae partibus instantibus ut se defendere possint, etiam ope patroni, intra terminos a iudice statuendos; demum detur decretum scriptum decisionis continens, saltem summarie, et facti.

Can. 12

Quoties causa separationis, forma administrativa definita, non sit per recursum ad superiorem gradum delata, potest iudex, ex interpellatione alterutrius coniugis, auditis altera parte et promotore iustitiae, suum decretum revocare aut reformare, sive ob cognitam illius illegitimitatem, sive ob novas circumstantias quae diversam exigant decisionem.

Can. 13

Contra decretum decisionis, de quo in can. 12, dantur iuris impugnationes, quae praevideatur in processu administrativo, et praesertim, ad effectum obtinendi reformationem decisionis, patet recursus hierarchicus.

Can. 14

Processus separationis etiam post duplicem conformem decisionem retractari possunt, sed tantum ob nova et gravia argumenta vel adiuncta ».

Rev.mus Relator notat Secretariam opportune parvum Coetum constituisse ad hoc schema apparandum, quia hoc modo basis apta discussionis praebetur et celerius conclusiones deliberari possunt. Quae quidem consideratio pari ratione valet etiam pro alio schemate de processu dispensationis super matrimonio rato et non consummato.

Rev.mus Relator monet in hoc schemate de causis separationis coniugum haberi tantum leges adiectivas, quae quidem supponunt leges sub-

stantivas de eadem materia in libro de matrimonio. Praesumitur, ad effectum disponendi sequentes canones, quod maneat in lege separatio *perpetua* et separatio *temporaria*.

1) *De competentia ad huiusmodi causas iudicandas*

Rev.mus Relator dicit Consultores parvi Coetus censuisse non expedire quod causae separationis demandentur semper civili magistratui quia:

- in can. 1960 (iam recognito) edictum est: «causae matrimoniales baptizatorum iure proprio ad iudicem ecclesiasticum pertinent»;

- plura matrimonia sunt aliquando tantummodo canonica;

- in iure civili haud considerantur quaedam motiva separationis, apud Ecclesiam bene valida;

- si contrarium statueretur, Ecclesia officium et ius suum abdicaret; simulque consequeretur quod separatio contra legem divinam frequenter imponeretur vel denegaretur;

- separatio, in foro civili statuta, esset saepe basis supra quam, elapso statuto tempore, ipso iure inscriberetur divortio.

Attamen nec parva sunt *incommoda duplicis iurisdictionis*, quia, ad habendos civiles effectus circa pensionem et iura oeconomica, circa custodiam filiorum etc., pars cuius interest debet quoque adire forum laicum. Consequenter adest periculum fastidii et iacturae temporis et pecuniae pro partibus et possibilitas duarum decisionum quae sint sibi invicem contrariae et praeterea executio sententiae canonicae potest haberi ut delictum in foro civili, v.g. ob desertionem domicilii coniugalis et ita porro.

Ideo parvus Coetus proponit formulam, quae, salvo iure particulari (ut sunt concordata), ex una parte non abdicat ius et officium Ecclesiae et, ex alia parte, ita sit flexibilis ut magna ex parte supradicta *incommoda* vitentur.

Can. 1

§ 1. Causae separationis personalis coniugum baptizatorum ad iudicem ecclesiasticum deferantur, nisi iure particulari aliter caveatur.

§ 2. Ubi decisio ecclesiastica effectus civiles non sortitur, et quando sententia civilis praevидetur non infensa iuri Ecclesiae, Ordinarius commorationis coniugum poterit, singulis in casibus, perpensis peculiaribus adiunctis, licentiam concedere adeundi forum civile.

Rev.mus primus Consultor proponit ut § 1 ita mutetur: «Salvo iure particulari, causae separationis coniugum catholicorum ad iudicem ecclesiasticum deferantur». Hoc modo principium competentiae omittitur quia iam habetur in can. 1960, et lex restringitur ad solos catholicos.

Alii Consultores retinere volunt in hoc canone principium competentiae.

Ad subiectum huius legis quod attinet, Consultores praeferunt locutionem «coniugum baptizatorum» sive quia ius particulare («nisi iure particulari aliter caveatur») potest restringere legem ad solos catholicos (Rev.mi Secretarius et secundus Consultor), sive quia si diceretur «coniugum catholicorum» statim surgeret quaestio de matrimoniis mixtis (Rev.mus tertius Consultor).

Rev.mus quartus Consultor vellet dare competentiam harum causarum magistratui civili ita ut lex ita sonare deberet: «Causae separationis... ad iudicem civilem deferantur, nisi iure particulari aliter caveatur».

Rev.mus Secretarius, contra Rev.mum quartum Consultorem, animadvertit causas separationis esse principaliter causas spirituales ideo non posse ex lege generali ad iudicem laicum deferri. Peculiares autem necessitates locales solvi possunt per legem particularem quae aliter cavere potest.

Rev.mus quartus Consultor instat in eo quod separatio inducitur ex propria voluntate coniugum, ideo iudex nihil habet iudicandum sed tantum subscribere debet talem decisionem et effectus civiles statuere.

Rev.mus primus Consultor negat talem sententiam Rev.mi quarti Consultoris, quia causae separationis induunt rationem boni publici et ideo a publica auctoritate resolvi debent.

Suffragatur placeatne § 1 prout proposita a Rev.mo Relatore:

placet n. 6; non placet n. 1.

Ad § 2 quod attinet, Rev.mus primus Consultor censet distinguendas esse causas quae directe respiciunt bonum spirituale et causas quae directe respiciunt bonum temporale etsi adnexum sit bonum spirituale. Ista deferri possunt etiam ad forum laicum, illae autem semper deferri debent ad iudicem ecclesiasticum.

Rev.mus Secretarius dicit quod si iudex laicus videret tales causas iure proprio, eius competentia extenderetur etiam ad effectus qui sunt ordinis ecclesiastici, quin dicatur quod perdifficile esset in singulis casibus iudicare utrum causa sit directe de bono spirituali an de bono temporali.

Rev.mus Relator censet quod causa separationis in se ipsa est semper causa spiritualis *ex qua* dimanare possunt etiam effectus ordinis temporalis, ideo forum ecclesiasticum ius nativum habet videndi tales causas.

Rev.mus primus Consultor declarat se non voluisse impugnare competentiam iudicis ecclesiastici sed tantum normam practicam dare, scilicet ubi de bono temporali coniugis vel prolis agatur causae separationis deferantur (non pertinent) ad iudicem laicum.

Suffragatur placeatne § 2 prout proposita a Rev.mo Relatore:

placet n. 6; non placet n. 1.

**Adunatio II^a
die 20 aprilis 1971 mane habita**

2) *Quinam sit ritus processualis quoad separationem adhibendus*

Circa hanc quaestionem habentur in schemate parvi Coetus cann. 2-3, qui statuunt ordinarie ritum iudiciale, saltem summarium, pro causis separationis perpetuae et ritum processus administrativi pro causis separationis temporariae.

Rev.mus primus Consultor dicit quod unica ratio statuendi processum administrativum pro causis separationis temporariae est brevis processus. Sed si in novo iure habebitur processus iudiciarius summarius, optata brevis bene obtineri potest per talem processum, quin recurratur ad proceduram administrativam, eo vel magis quod, addit Rev.mus Secretarius, causae separationis sunt causae contentiosae et ideo ex natura sua solvi debent per processum iudiciarium.

Etiam Rev.mus Relator et alii Consultores concordant cum Rev.mis primo Consultore et Secretario circa naturam iudiciariam processus separationis et circa opportunitatem subtrahendi tale processum a via administrativa.

Ideo proponitur ut cann. 2 et 3 in unum tantum canonem contrahantur, qui, auctore Rev.mo Relatore, Rev.mi primus et secundus Consultores, ita redigitur:

«Can. 2. Quando petitur separatio sive perpetua sive temporaria, instaurari debet processus iudiciarius summarius, nisi alterutra pars vel promotor iustitiae instent ut processus contentiosus ordinarius habeatur».

Suffragatur haec formula: placet n. 6; non placet n. 1.

3) *De ritu processuali adhibendo et de peculiaribus normis*

Rev.mus Secretarius proponit ut formula can. 4 schematis parvi Coetus ita mutetur:

«Nisi electus fuerit processus ordinarius, causa separationis sequitur communem tramitem processus summarii, servatis in utroque casu peculiaribus normis quae infra traduntur» (placet n. 6; non placet n. 1).

4) *De iudice in processu separationis*

Rev.mus Relator notat quod causae separationis, cum sint processus iudiciales, percurrere debent ordinariam hierarchiam tribunalium. At statuendi sunt tituli competentiae quia ex iure communi applicaretur semper principium «actor sequitur forum rei», quod incommoda practica afferre posset. Ad faciliorem causae instructionem reddendam, parvo Coetui visum est utile agnoscere competentiam tribunalis loci ultimi domicilii coniugalis, quia ibi convictus perturbatus est et ibi sunt testes qui possunt de re referre.

Rev.mus Relator ita formulam proponit:

«In causis separationis, praeter tribunalia de quibus in can. 1964, competens est quoque forum ultimae commorationis non praecarie coniugum».

Suffragatur haec formula: placet n. 6; non placet n. 1.

5) *Causae incidentes de effectibus mere civilibus*

Formula canonis, prout in schemate prostat, omnibus placet, excepto Rev.mo quarto Consultore.

6) *De interventu promotoris iustitiae in processu separationis*

Rev.mus Relator memorat novum canonem recognitum 1586 ter ubi statuitur interventum Prom. Iust. esse «ex natura rei necessarium in causis separationis coniugum». Reapse rei publicae communisque salutis interest connubia non separari ob pericula coniugum et filiorum. Etiam in foro laicali in huiusmodi causis intervenit Procurator Reipublicae. Ceterum finis intentus ab hac praesentia non est determinatus ad unum (sicut evenit pro defensore vinculi) sed potest esse tam pro quam contra separationem.

Ideo Rev.mus Relator formulam schematis parvi Coetus ita parum corrigit:

«In quolibet processu separationis coniugum interveniat promotor iustitiae, qui curare debet ne absque causa consortia matrimonialia distrahantur, neve legitimae separationis causae haud recognoscantur».

Suffragatur haec formula canonis: placet n. 6; non placet n. 1.

7) *Can. 8 schematis parvi Coetus*

Can. 8 schematis parvi Coetus supprimitur. Cum in processu separationis adhibeatur semper ritus iudiciarius, ideo valent normae generales de praesentia notarii.

8) *De advocatis in processu separationis*

Omnes Consultores concordantes sunt circa opportunitatem admittendi advocatos in processu separationis, quia agitur de iure et non videtur cur partes privari deberent tali adiutorio.

Rev.mus Relator ita formulam corrigit: «Partes uti possunt advocatis a se electis; iudex vero, si necessitas id postulat, constituat partibus patronum ex officio».

Formula placet n. 6; non placet n. 1.

9) *De conatu conciliationis*

Rev.mus Relator memorat novum can. 1973 ubi statuitur munus iudicis ad curandam pacificationem coniugum. Dicit enim canon: «Ut causae matrimoniales, quantum fieri potest vitentur, iudex, antequam causam acceptet, media pastoralia adhibeat, prout res sinit, ad coniuges reconciliandos...».

Cum iam prostet hic canon generalis, sufficit in hac parte de processu separationis revocare hanc normam in sequenti canone.

Alii Consultores concordant cum Rev.mo Relatore.

10) *De utroque coniuge eorumque parrocho audiendis*

Omnes Consultores concordant de directa auditione coniugum et de audiendo parrocho, ideo Rev.mus Relator formulam canonis ita proponit:

«Praemisso conatu conciliationis ad normam can. 1973, iudex directe audiat coniuges de quorum separatione agitur et inquirat quoque ab eorum parrocho, nisi adiuncta aliud suadeant, de vicissitudinibus vitae coniugalis».

Suffragatur formula: placet n. 6; non placet n. 1.

11) *De evolutione processus*

Rev.mus Relator notat canonem 11, prouti propositum in schemate parvi Coetus, praecipue redactum fuisse quia in illo schemate praevideba-

tur possibilitas adeundi viam proceduræ administrativæ et ideo statuere oportebat quænam cautiones remanere deberent de formulatione petiti et causæ petendi, de iure cognoscendi acta, de iure defensionis etc. Nunc vero, cum semper in causis separationis ritus iudiciarius adhibendus sit, ille canon supprimi posset quia valere debent normæ generales processus contentiosi (vel summarii). Tamen Rev.mus Relator opportunum censet ut canon retineatur, ita tamen mutatus: «In processu accurate definiatur an separatio temporaria vel perpetua, qua de causa quibuslibet argumentis petatur; probationes collectæ innotescant partibus ut se defendere possint, etiam ope patroni».

Suffragatur hæc formula: placet n. 6; non placet n. 1.

12) *Canones qui habentur in schemate sub nn. 12 et 13*

Canones qui habentur in schemate sub nn. 12 et 13 supprimuntur, quia referunt normas peculiæ proceduræ administrativæ, non vero proceduræ iudiciariæ aptæ.

13) *De re iudicata in causis separationis*

Etiam can. 14 schematis parvi Coetus supprimitur, quia ille canon positus fuit præsertim ad extendendum decisionibus quoque proceduræ administrativæ principium quod causæ separationis non transeunt in rem iudicatam, cum sint causæ de statu personarum.

**Adunatio III^a
die 22 aprilis 1971 mane habita**

Incipit examen alterius schematis a parvo Coetu parati. Rev.mus Relator legit schema canonum:

**DE PROCESSU DISPENSATIONIS
SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO**

Can. 1

Coniuges, sive utraque parte rogante sive alterutra, invita quoque altera parte, ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato.

Can. 2

§ 1. Una Sedes Apostolica cognoscit de facto inconsummationis matrimonii et de existentia causarum ad dispensationem concedendam.

§ 2. Dispensatio vero a Romano Pontifice directe conceditur.

Can. 3

§ 1. Competentes ad accipiendum libellum, quo petitur dispensatio, sunt Episcopi dioecesani domicilii vel commorationis non precariae oratoris, qui, si constiterit de fundamento precum, poterunt disponere instructionem processus.

§ 2. Si tamen factispecies proposita difficultates exhibeat sat graves ordinis iuridici vel moralis, Episcopus dioecesanus consulat Sanctam Sedem.

§ 3. Adversus decretum quo Episcopus libellum reicit, patet recursus ad Sedem Apostolicam.

Can. 4

Firmo praescripto can. 1983, instructio processus peragitur a tribunali administrativo dioecesis vel ab Episcopo committitur alii idoneo iudici, semper tamen cum interventu defensoris vinculi et notarii: quodsi difficulter in dioecesi expleri possit, demandetur alii tribunali, ad quod partes et testes commode accedere queant.

Can. 5

§ 1. In processibus super rato patroni, pro regula, non admittuntur; in casibus difficilioribus, instante alterutra parte, Episcopus id indulgere potest, praesertim ad effectum quod pars non privetur consiliario ad plenior instructionem obtinendam.

§ 2. Quod si Sancta Sedes rescripserit ex deductis non constare de inconsummatione, tunc patronus, a parte electus et ab Episcopo probandus, potest acta processus, non vero votum Episcopi, invisere in sede tribunalis ad perpendendum num aliquid grave proponi possit in supplemento.

Can. 6

Quae, relate ad causas nullitatis matrimonii, statuuntur in cann. ..., praesertim quoad probationes, applicantur quoque in processu dispensationis, nisi praescriptis huius tituli contradicant.

Can. 7

§ 1. Non fit publicatio actorum; tamen iudex, quando conspiciat petitioni partis oratricis vel exceptioni partis conventae grave obstaculum obvenire ob adductas probationes, id parti cui interest prudenter patefaciat.

§ 2. Parti instanti documentum allatum vel testificationem receptam, audito Episcopo, ostendere poterit et tempus praefinire ad exceptiones praesentandas.

Can. 8

Clausula instructione per decretum iudicis, acta transmittuntur defensori vinculi, qui suas animadversiones conscribat.

Can. 9

§ 1. Iudex instructor ad nullam deveniat decisionem, sed totum processum deferat ad Episcopum, qui votum pro rei veritate promat tum super facto inconsummationis tum super iustis causis ad dispensandum.

§ 2. Si instructio processus commissa fuerit alieno tribunali ad normam can. 4, animadversiones pro vinculo in eodem foro conficiantur, sed votum pro rei veritate spectat ad Episcopum committentem, cui iudex instructor simul cum actis processus aptam relationem tradat.

Can. 10

§ 1. Acta totius processus una cum voto Episcopi et animadversionibus defensoris vinculi transmittuntur ad Sedem Apostolicam per illum Episcopum qui libellum acceptavit.

§ 2. Si, iudicio Sanctae Sedis, requiratur supplementum instructionis, id eidem Episcopo significetur, indicando elementa circa quae desideratur clarificatio.

§ 3. Quodsi Sancta Sedes rescribat non constare de inconsummatione, tunc, sub ductu eiusdem Episcopi, inquiri potest, ad normam can. 5 § 2, num probatio possit aliunde suppleri.

Can. 11

Rescriptum dispensationis a Sede Apostolica transmittitur Episcopo qui libellum acceptavit et votum redegit; is vero parochus tum loci contracti matrimonii tum suscepti baptismatis sive viri sive mulieris quamprimum

num mandabit ut in libris matrimoniorum et baptismorum de concessa dispensatione mentio fiat.

Rev.mus quartus Consultor habet quaestionem praeiudicalem circa naturam consummationis matrimonii. Ipse enim in hoc Coetu discussionem promovere vellet de hac quaestione, quia ex eius solutione pendent sequelae in iure processuali.

Rev.mus quartus Consultor tenet consummationem matrimonii non haberi nisi, simul cum unione corporum, attingatur illa unio animorum quae est propria amoris coniugalis.²

Alii Consultores tenent sententiam traditionalem circa natura consummationis matrimonii et ideo inutilem censent discussionem circa quaestionem quae pertinet ad Coetus «De Matrimonio».

His dictis, incipit examen canonum a parvo Coetu propositorum:

Can. 1

Coniuges, sive utraque parte rogante sive alterutra, invita quoque altera parte, ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato.

Rev.mus primus Consultor proponit ut initio dicatur «*Soli* coniuges...» prout habetur in can. 1973 CIC et in Instr. *Provida Mater*. Haec addictio non requiritur ratione claritatis, quia textus clarus est etiam sine verbo «*soli*», sed ratione opportunitatis, ne scilicet in futuro suppressio

² Rev.mus quartus Consultor vult ut in actis ponatur sua sententia quae ita ab ipso proponitur:

«Significatio copulationis inter virum et mulierem differt totaliter a significatione copulationis inter conducturam et murum et a significatione copulationis inter duo animalia.

Copulatio inter virum et mulierem, quia humana est, sumit significationem suam a scientia, sollicitudine, compassione, aliis emotionibus, voluntate, a sensu amandi duarum personarum evolutarum. Copulatio humana numquam existit tamquam ens materiale aut simpliciter animale: aut vivit cum amore, tamquam existit inter duas personas vere humanas, aut destructio est vivendi et amandi – quae est forma mortis – quando alterutra pars caret scientia, vel sollicitudine, vel compassione, vel aliis emotionibus, vel voluntate quae necessariae sunt ut sit actus amoris.

Deus solus potest facere iudicium utrum matrimonium dissolvatur necne ob rationem simplicis praesentiae aut absentiae unius actus partialis copulationis materialis vel animalis. Omnis vir et omnis mulier habent quandam emotionem quando copulant. Copulatio animalis existit – et est bona – pro animalibus. Copulatio animalis non est bona pro personis. Est, pro eis, perversio personarum suarum.

Tantum Deus et duae personae qui copulantur possunt facere iudicium utrum alteruter fuerit necne res aut animal in actu copulationis. Si alteruter fuit res, aut si alteruter vel ambo fuerunt animalia, nulla fuit copulatio, nulla fuit consummatio».

illius verbi intelligatur ut tacita extensio aliis facta petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato.

Omnes Consultores concordant cum Rev.mo primo Consultore.

Rev.mus quintus Consultor vellet «facultatem habent» loco «ius habent», sed propositio non placet.

Suffragatur placeatne can. 1 cum emendatione Rev.mi primi Consultoris: placet n. 6; non placet n. 1.

Can. 2

§ 1. Una Sedes Apostolica cognoscit de facto inconsummationis matrimonii et de existentia causarum ad dispensationem concedendam.

§ 2. Dispensatio vero a Romano Pontifice directe conceditur.

Rev.mus quartus Consultor vellet talem competentiam Episcopis dioecesanis extendere.

Rev.mus primus Consultor proponit ut dicatur «...et de existentia iustae causae ad dispensationem...» loco «de existentia causarum». Propositio Rev.mi primi Consultoris omnibus placet.

Suffragatur placeatne can. 2 cum emendatione Rev.mi primi Consultoris: placet n. 6; non placet n. 1.

Can. 3

§ 1. Competentes ad accipiendum libellum, quo petitur dispensatio, sunt Episcopi dioecesani domicilii vel commorationis non precariae oratoris, qui, si constiterit de fundamento precum, poterunt disponere instructionem processus.

§ 2. Si tamen factispecies proposita difficultates exhibeat sat graves ordinis iuridici vel moralis, Episcopus dioecesanus consulat Sanctam Sedem.

§ 3. Adversus decretum quo Episcopus libellum reicit, patet recursus ad Sedem Apostolicam.

Circa § 1 Rev.mus Relator notat in commate «Episcopi dioecesani domicilii vel commorationis non precariae» comprehendere etiam «Episcopum dioecesanum quasi domicilii», si forte figura «quasi domicilii» in novo Codice retinetur.

Rev.mi primus et sextus Consultores censent «commorationem *non precariam*» quandam ambiguitatem gignere, quae vitari posset per verba clariora «commoratio *aliquantulum stabilis*».

Rev.mus Secretarius censet autem locutionem «commoratio non precaria» habere sensum magis definitum. Ceterum in illo libro de verborum significatione opportuna explanationes dari poterunt. Praeterea Rev.mus primus Consultor quaerit quinam sit competens ad accipiendum libellum in casu vagorum et Rev.mus Secretarius respondet casum referendum esse S. Sedi, quae opportunas facultates dabit in singulis casibus.

In § 2 dicendum erit «Sedem Apostolicam» loco «Sanctam Sedem», ut habeatur terminologia constans.

Suffragatur placeatne can. 3:

placet n. 6; non placet n. 1.

Can. 4

Firmo praescripto can. 1983, instructio processus peragitur a tribunali administrativo dioecesis vel ab Episcopo committitur alii idoneo iudici, semper tamen cum interventu defensoris vinculi et notarii: quodsi difficulter in dioecesi expleri possit, demandetur alii tribunali, ad quod partes et testes commode accedere queant.

Can. 4 omnibus placet, excepto Rev.mo quarto Consultore.

Can. 5

§ 1. In processibus super rato patroni, pro regula, non admittuntur; in casibus difficilioribus, instante alterutra parte, Episcopus id indulgere potest, praesertim ad effectum quod pars non privetur consiliario ad plenior instructionem obtinendam.

§ 2. Quod si Sancta Sedes rescripserit ex deductis non constare de inconsummatione, tunc patronus, a parte electus et ab Episcopo probandus, potest acta processus, non vero votum Episcopi, invisere in sede tribunalis ad perpendendum num aliquid grave proponi possit in supplemento.

Rev.mus primus Consultor petit ut ne admittantur advocati in huiusmodi processibus dispensationis super rato, vel saltem eorum munera stricte definiantur. Sed Rev.mus Secretarius respondet ex tenore § 1 praesentiam advocati non esse omnino liberam, quia relinquitur prudentiae Episcopi ut id indulgeat, imo ipse Episcopus potest definire in singulis casibus munus advocati.

Rev.mus sextus Consultor petit cur advocatus votum Episcopi invisere non possit (§ 2) et Rev.mus Secretarius respondet id respondere omnino aequitati et prudentiae, quia plerumque non decet relationes inter Episcopum et Sanctam Sedem aliis pandere.

Rev.mus quartus Consultor vellet imponere S. Sedi ut det rationes denegatae dispensationis, sed Rev.mus Secretarius notat hic agi de gratia et non de iure, ideo impositio illa esset contra naturam rei.

Rev.mus secundus Consultor proponit ut in § 1 dicatur «...praesertim *ad hoc ut* pars non privetur etc.» loco «praesertim ad effectum quod...» et, praeterea, in § 2 dicatur «Apostolica Sedes» loco «Sancta Sedes». Propositio Rev.mi secundi Consultoris omnibus placet.

**Adunatio IV^a
die 22 aprilis 1971 vespere habita**

Can. 6

Quae, relate ad causas nullitatis matrimonii, statuuntur in cann. ..., praesertim quoad probationes, applicantur quoque in processu dispensationis, nisi praescriptis huius tituli contradicant.

Can. 6 omnibus placet, excepto Rev.mo quarto Consultore.

Can. 7

§ 1. Non fit publicatio actorum; tamen iudex, quando conspiciat petitioni partis oratricis vel exceptioni partis conventae grave obstaculum obvenire ob adductas probationes, id parti cui interest prudenter patefaciat.

§ 2. Parti instanti documentum allatum vel testificationem receptam, audito Episcopo, ostendere poterit et tempus praefinire ad exceptiones praesentandas.

Rev.mus Relator notat quod per se fieri posset publicatio actorum, quia duo casus dari possunt: vel acta favent partibus et tunc nullum detrimentum ipsis provenire posset ex publicatione; vel acta non favent partibus et in casu iam iudex potest illa patefacere partibus.

Rev.mi quartus et quintus Consultores favorabiles sunt publicationi actorum, sed omnes alii Consultores contenti sunt de norma prout iacet in § 1.

Quoad § 2 Rev.mus Relator claritatis causa hanc emendationem proponit quae omnibus placet: «...vel testificationem receptam, iudex, audito Episcopo, etc...».

Suffragatur placeatne can. 7 cum emendatione Rev.mi Relatoris:

placet n. 7; non placet n. 1.

Can. 8

Clausula instructione per decretum iudicis, acta transmittuntur defensori vinculi, qui suas animadversiones conscribat.

Can. 8 placet omnibus, excepto Rev.mo quarto Consultore.

Can. 9

§ 1. Iudex instructor ad nullam deveniat decisionem, sed totum processum deferat ad Episcopum, qui votum pro rei veritate promat tum super facto incosummationis tum super iustis causis ad dispensandum.

§ 2. Si instructio processus commissa fuerit alieno tribunali ad normam can. 4, animadversiones pro vinculo in eodem foro conficiantur, sed votum pro rei veritate spectat ad Episcopum committentem, cui iudex instructor simul cum actis processus aptam relationem tradat.

Circa § 1 sequentes animadversiones habentur:

a) Rev.mus Relator proponit ut in fine dicatur «super iusta causa» loco super «iustis causis» (placet omnibus).

b) Rev.mus septimus Consultor notat quod in praxi plerumque est iudex qui votum exarat, quod deinde subsignatur ab Episcopo. Ita nunc fit et certo certius etiam in posterum ita fiet. Cur ergo non tollitur talis discrepantia inter normam et praxim, conficiendo normam quae tribuat iudici munus exarandi votum, quod deinde ab Episcopo approbari debet?

Rev.mus Secretarius respondet quod rationi legis bene satisfacit Episcopus cum per subsignationem votum facit *suum*, sive votum ab ipso exaratum sit sive ab alio. Norma mutari non debet sive quia non desunt Episcopi qui per se ipsi votum exarant, sive quia etiam in casu can. 4 (quando instructio processus demandetur alii tribunali quod non sit dioecesis) Episcopus interesse habere potest votum sibi reservandi.

Rev.mus Relator addit rationem convenientiae: ille ipse qui accepit libellum debet et votum facere.

Rev.mi primus et quartus Consultores concordant cum Rev.mo septimo Consultore, quia secus norma onerosa esset pro Episcopis, qui omnia acta examinare deberent ad votum suum faciendum.

Rev.mus tertius Consultor censet varias sententias componi posse si dicatur in canone: «Episcopus, *audito instructore*, dabit votum pro rei veritate, etc...».

c) Rev.mus secundus Consultor proponit ut dicatur «omnia acta» loco «totum processum». Deinde fit suffragatio placeatne § 1 prout prostat in schemate parvi Coetus:

placet n. 4; placet iuxta modum n. 4.

Modi:

1) dicatur «Episcopus ad nullam deveniat decisionem sed votum pro rei veritate promat tum super rato etc...» (Rev.mus primus Consultor): placet n. 2; non placet n. 6.

2) dicatur «Iudex ... omnia acta deferat ad Episcopum...», loco «totum processum deferat» (Rev.mus secundus Consultor): placet omnibus.

3) dicatur «Iudex ... omnia acta cum apta relatione deferat ad Episcopum etc.»: placet n. 6; non placet n. 2.

Circa § 2 Rev.mus secundus Consultor proponit ut in fine supprimatur verbum «processus» ita ut comma ita sonet: «... cui iudex simul cum actis aptam relationem tradat» (placet omnibus).

Suffragatur placeatne § 2 ita emendata:

placet 7; non placet n. 1.

Can. 10

§ 1. Acta totius processus una cum voto Episcopi et animadversionibus defensoris vinculi transmittuntur ad Sedem Apostolicam per illum Episcopum qui libellum acceptavit.

§ 2. Si, iudicio Sanctae Sedis, requiratur supplementum instructionis, id eidem Episcopo significetur, indicando elementa circa quae desideratur clarificatio.

§ 3. Quodsi Sancta Sedes rescribat non constare de inconsummatione, tunc, sub ductu eiusdem Episcopi, inquiri potest, ad normam can. 5 § 2, num probatio possit aliunde suppleri.

Consequenter ad emendationes in canonibus praecedentibus indutas, in praesenti quoque canone aliquae mutationes faciendae sunt:

a) in initio § 1 dicendum est: «Acta omnia, una cum voto Episcopi etc...».

b) in § 2 dicendum est «Apostolicae Sedis» loco «Sanctae Sedis».

c) in § 3 item dicendum est «Apostolica Sedes», loco «Sancta Sedes». His emendationibus factis, suffragatur placeatne can. 10:

placet n. 7; non placet n. 1.

Can. 11

Rescriptum dispensationis a Sede Apostolica transmittitur Episcopo qui libellum acceptavit et votum redegit; is vero parrocho tum loci contracti matrimonii tum suscepti baptismatis sive viri sive mulieris quamprimum mandabit ut in libris matrimoniorum et baptismorum de concessa dispensatione mentio fiat.

Canon 11 omnibus placet, excepto Rev.mo quarto Consultore.

Appendix

SCHEMA CANONUM

I. DE CAUSIS SEPARATIONIS CONIUGUM

Can. 1

§ 1. Causae separationis personalis coniugum baptizatorum ad iudicem ecclesiasticum deferantur, nisi iure particulari aliter caveatur.

§ 2. Ubi decisio ecclesiastica effectus civiles non sortitur, et quando sententia civilis praevideatur non infensa iuri Ecclesiae Ordinarius commorationis coniugum poterit, singulis in casibus, perpensis peculiaribus adiunctis, licentiam concedere adeundi forum civile.

Can. 2

Quando petitur separatio sive perpetua sive temporaria, instaurari debet processus contentiosus summarius, nisi alterutra pars vel promotor iustitiae instent ut processus contentiosus ordinarius habeatur.

Can. 3

Nisi electus fuerit processus ordinarius, causa separationis sequitur communem tramitem processus summarii, servatis in utroque casu peculiaribus normis quae infra traduntur.

Can. 4

In causis separationis, praeter tribunalia de quibus in can. 1964, competens est quoque forum ultimae commorationis non precariae coniugum.

Can. 5

Quando proponitur causa separationis quae simul implicet quaestiones circa effectus mere civiles matrimonii, nisi ius particulare aliud caveat ad normam can. 1961, curet iudex ut causa ipsa, inde ab initio, de licentia Ordinarii deferatur ad forum civile.

Can. 6

In quolibet processu separationis coniugum interveniat promotor iustitiae, qui curare debet ne absque causa consortia matrimonialia distrahantur, neve legitimae separationis causae haud recognoscantur.

Can. 7

Partes uti possunt advocatis a se electis; iudex vero, si necessitas id postulet, constituat partibus patronum ex officio.

Can. 8

Praemisso conatu conciliationis ad normam can. 1973, iudex directe audiat coniuges de quorum separatione agitur et inquiret quoque ab eorum paroco, nisi adiuncta aliud suadeant, de vicissitudinibus vitae coniugalibus.

Can. 9

In processu accurate definiatur an separatio temporaria vel perpetua, qua de causa quibusque argumentis petatur; probationes collectae innotescant partibus ut se defendere possint, etiam ope patroni.

II. DE PROCESSU DISPENSATIONIS
SUPER MATRIMONIO RATO ET NON CONSUMMATO

Can. 1

Soli coniuges, sive utraque parte rogante sive alterutra, invita quoque altera parte, ius habent petendi dispensationem super matrimonio rato et non consummato.

Can. 2

§ 1. Una Sedes Apostolica cognoscit de facto inconsummationis matrimonii et de existentia iustae causae ad dispensationem concedendam.

§ 2. Dispensatio vero a Romano Pontifice directe conceditur.

Can. 3

§ 1. Competentes ad accipiendum libellum, quo petitur dispensatio, sunt Episcopi dioecesani domicilii vel commorationis non precariae ora-

toris, qui, si constiterit de fundamento precum, poterunt disponere in instructionem processus.

§ 2. Si tamen factispecies proposita difficultates exhibeat sat graves ordinis iuridici vel moralis, Episcopus dioecesanus consulat Sedem Apostolicam.

§ 3. Adversus decretum quo Episcopus libellum reiicit, patet recursus ad Sedem Apostolicam.

Can. 4

Firmo praescripto can. 1983, instructio processus peragitur a tribunali administrativo dioecesis vel ab Episcopo committitur alii idoneo iudici, semper tamen cum interventu defensoris vinculi et notarii: quodsi difficulter in dioecesi expleri possit, demandetur alii tribunali, ad quod partes et testes commode accedere queant.

Can. 5

§ 1. In processibus super rato patroni, pro regula, non admittuntur; in casibus difficilioribus, instante alterutra parte, Episcopus id indulgere potest, praesertim ad hoc, ut pars non privetur consiliario ad plenioram instructionem obtinendam.

§ 2. Quod si Apostolica Sedes rescripserit ex deductis non constare de inconsummatione, tunc patronus, a parte electus et ab Episcopo probandus, potest acta processus, non vero votum Episcopi, invisere in sede tribunalis ad perpendendum num aliquid grave proponi possit in supplemento.

Can. 6

Quae, relate ad causas nullitatis matrimonii, statuuntur in cann. ..., praesertim quoad probationes, applicantur quoque in processu dispensationis, nisi praescriptis huius tituli contradicant.

Can. 7

§ 1. Non fit publicatio actorum; tamen iudex, quando conspiciat petitioni partis oratricis vel exceptioni partis conventae grave obstaculum obvenire ob adductas probationes, id parti cui interest prudenter patefaciat.

§ 2. Parti instanti documentum allatum vel testificationem receptam, iudex, audito Episcopo, ostendere poterit et tempus praefinire ad exceptiones praesentandas.

Can. 8

Clausula instructione per decretum iudicis, acta transmittuntur defensori vinculi, qui suas animadversiones conscribat.

Can. 9

§ 1. Iudex instructor ad nullam deveniat decisionem, sed omnia acta cum apta relatione deferat ad Episcopum, qui votum pro rei veritate promat tum super facto inconsummationis tum super iusta causa ad dispensandum.

§ 2. Si instructio processus commissa fuerit alieno tribunali ad normam can. 4, animadversiones pro vinculo in eodem foro conficiantur, sed votum pro rei veritate spectat ad Episcopum committentem, cui iudex instructor simul cum actis aptam relationem tradat.

Can. 10

§ 1. Acta omnia una cum voto Episcopi et animadversionibus defensoris vinculi transmittuntur ad Sedem Apostolicam per illum Episcopum qui libellum acceptavit.

§ 2. Si, iudicio Apostolicae Sedis, requiratur supplementum instructionis, id eidem Episcopo significetur, indicando elementa circa quae consideratur clarificatio.

§ 3. Quodsi Apostolica Sedes rescribat non constare de inconsummatione, tunc, sub ductu eiusdem Episcopi, inquiri potest, ad normam can. 5 § 2, num probatio possit aliunde suppleri.

Can. 11

Rescriptus dispensationis a Sede Apostolica transmittitur Episcopo qui libellum acceptavit et votum redegit; is vero parochus tum loci contracti matrimonii tum suscepti baptismatis sive viri sive mulieris quamprimum mandabit ut in libris matrimoniorum et baptismorum de concessa dispensatione mentio fiat.

